

## P A R S II.

### DE REBUS ECCLESIASTICIS.

#### CAPUT I.

##### De Rebus Sacris.

###### S U M M A R I A.

1. & 2. An quis baptizatus fuisse presumatur?  
 3. Præceptum annua confessionis alligatur tempore Paschali. 4. & seqq. Cui satisfactio per confessionem, Sacerdotibus Regularibus factam.  
 7. Explicatur præceptum confessionis quoad Sacerdotes. 8. Quandoam aliis Clericis confessio sit præcepta? 9. Quandoam Monachis?  
 10. Quandoam Monialibus? 11. & seqq. Earum Confessarius specialiter est approbandus.  
 13. Eucharistia est asseruanda in Ecclesiis Parochialibus & Regularibus. 14. & seqq. An etiam in filialibus? Elucidatur. 17. & seqq. In Ecclesiis Cathedralibus extra altare majus reponi debet. 19. Claves tabernaculi spectant

ad Rectorem Ecclesie. 20. Eucharistiam administrare licet etiam Sacerdotibus Regularibus. 21. & seqq. In die Paschalis ipsi à Parocho potest prohiberi. 23. & seqq. Assignatur triplex oleum pro usu Sacramentorum. 26. Quodlibet consecratur ab Episcopo in Cena Domini in Ecclesia Cathedrali. 27. Etsi ex causa in alia Ecclesia subiecta possit consecrari. 28. Oleum recipiendum ab Episcopo. 29. Non ab alio. 30. Ecclesia filiales recipiunt à matrice. 31. Abbates quoque recipere debent ab Episcopo. 32. Non obstat ante exemptione passiva. 33. Aut activa impropria. 34. Bene verò propria. 35. Non debent olea asseruari in tabernaculo altaris.

#### QUÆSTIO I.

##### An quis baptizatus fuisse presumatur?

1. Eminentiss. Card. Petra in *Comment. ad Constit. Apostol. tom. 3. pag. 457. num. 26. & seqq.* distinguit, an quis sit natus ex parentibus fidelibus, an infidelibus. Natus ex parentibus fidelibus, & educatus inter ipsos semper baptizatus fuisse præsumitur, nisi contrarium evidentissimè probetur. Textus concludens in *cap. veniens ult. de Presbyt. non*

*baptiz. in fin.* etiam nullus testis aut vestigium in libro baptizatorum reperitur.

Natus ex parentibus infidelibus, & etià inter Christianos educatus, tamen in communi hominum existimatione reputetur baptizatus, non præsumitur tamen esse talis, sed baptismum aliunde tenetur probare *arg. à contrario sensu ex d. cap. ult.*

#### QUÆSTIO II.

##### Quoties & quando urgeat præceptum Confessionis?

3. Quoad omnes fideles esse præceptum, ut saltem semel in anno confiteantur, atque ex universali consuetudine Ecclesie id præceptum urgere tempore Paschali, notum est ex *cap. omnis utriusque 12. de Penit. & remiss. & Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. in f.* Nec interest, an quis proprio tunc Parocho confiteatur, aut aliis Sacerdotibus, seu Sæcularibus seu Regularibus, ad excipiendas Confessiones ab Ordinario approbatis: quantumvis enim in *d. cap. omnis utriusque sermo sit de proprio Sacerdote*; illius tamen nomine exaudiuntur etiam illi, qui ex illius licentia, vel expressâ, vel tacitâ, ac generatim in SS. Canonibus & Constitutionibus Ecclesiasticis comprehensâ, Confessiones tempore paschali audiant. Fagnanus ad *cit. cap. n. 57.* Est verò in SS. Canonibus, signanter in *Extravag. vas electionis 2. de Hæretic. inter commun. & Extravag. inter cunctos 1. de Privileg. inter commun.*

abundè declaratum, per proprium Sacerdotem Confessarios quoque Regulares, ad confessiones approbatos, designari; & in constitutione Clementis X. quæ incipit: *superna* declaratum: *eos, qui dictis Religiosis approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni quæ incipit: omnis utriusque sexus, quoad Confessionem duntaxat satisfecisse censendos.* Matthæucci in *Officiali Curia Eccles. cap. 46. num. 2. & seqq.*

Præterea juxta monitum & sententiam S. Concilii Trid. *sess. 13. de Eucharist. Sacram. c. 7. communicare volenti revocandum est in memoriam præceptum Apostoli: probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, qui*

#### Quoties & quando urgeat præceptum Confessionis? 153

quibus ex officio incumbit celebrare, hac sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris; quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

8. De Clericis, in Sub-Diaconatûs aut Diaconatûs Ordine constitutis, statuit Concilium Romanum *noviss. tit. 16. cap. 5. ut singulis quibusque quindenis diebus, ultra solenniores anni festivitates, Sacramentali mundentur exomologesi, & sacratissima, quotiescunque fieri poterit, intra Missarum solennia, communione vesciantur.* Ut verò Clerici alii inferiores id semel quolibet saltem mense efficiant, optat idem Concilium.

9. De Monachis in *Clem. ne in agro 1. de Statu Monachor. cavetur, ut singulis mensibus tam in Monasteriis quàm extra (sublata occasione quacunque) ad Confessionem saltem semel accedant omnes & singuli.* De Monialibus similia præscribit Concil. Trident. *sess. 25. de Regularib. c. 10. atque ulterius jubet,*

ut præter Ordinariam Confessionem alius extraordinarius ab Episcopo & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat. Debetque Confessarius tam Ordinarius quàm Extraordinarius esse specialiter ad hoc deputatus: quia in supra cit. constitut. Clementis X. quæ incipit: *superna &c.* perspicuè decernitur, generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam censi approbatos ad audiendas confessiones Monialium, sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione. Matthæucci in *Officiali Curia Regular. cap. 9. n. 3. & seqq.* ubi etiam in *num. 9.* pluries à Sacra Congreg. dispositum refert, trienniò duntaxat Confessarios Ordinarios durare; eoque lapsò sub poena suspensionis ab audiendis Confessionibus non posse amplius in eodem Monasterio per aliud triennium Confessiones Monialium audire. An verò non possit ad novum triennium approbari? Satis consuetudo docet.

#### QUÆSTIO III.

##### Ubinam asseruanda, & à quibus distribuenda sit SS. Eucharistia?

13. In quibus Ecclesiis asseruanda sit SS. Eucharistia, dixi in *hoc cap. n. 77. & seqq.* nempe in parochialibus & regularibus, quæ quoad personas, intra claustra degentes habentur pro parochialibus. Eminentiss. Petra in *Comment. Apostol. tom. 3. pag. 301. num. 18. & seqq.*

14. In Ecclesiis filialibus seu ruralibus, ad quos accedunt Parochi ad celebrandum festis aut aliis diebus, non posse retineri SS. Eucharistiam, pluries resolvit S. Congregatio apud *cit. Petram pag. 303. num. 30. speciatim in Tarraconens. 27. Junii 1697. in Novantulana 16. Jan. & 17. Februarii 1685. & in Acheruntina seu Chaterin. 3. Maji 1668. & in Bonou. 5. Martii 1689.* Imò ipsa S. Congregatio in hujusmodi licentis concedendis, testè eodem Petra *pag. 305. n. 37.* solet cautè procedere, ac libellos supplices remittere ad Summum Pontificem, nec unquam eos concedere in Oratoriis privatis, prout nec in Capellis, præsertim ruralibus, nedum ob metum facilis irreverentiæ, verum etiam, quia tantum Sacramentum dedecet in loco

interrumpatur functio, ut ex iisdem rationibus in Patriarchalibus Urbis servatur in Capella speciali, & non in majori altari; & S. Congreg. in *Casertana 28. Novemb. 1594. 18.* resolvit, in verbis: *Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in altari majori propter functiones Pontificales, quæ sunt veris rebus ad altare; in Parochialibus verò & Regularibus Ecclesiis debet esse in altari majori regulariter sanquam digniori.*

Claves demum Tabernaculi hujus Augustissimi Sacramenti solus Parochus in Ecclesiis Parochialibus, non obstante contrariò statuto vel consuetudine, & in aliis Ecclesiis Capellani seu Rectores debent retinere; nunquam tamen Moniales aut Laici, ne quidem Patroni Ecclesie. Sac. Congregatio in *Ancianana 25. Junii 1689. & in Neapolitana 14. Nov. 1693. Petra d. tom. 3. pag. 305. num. 41. & seqq.*

15. Eodem modo licentis concedendis, testè eodem Petra *pag. 305. n. 37.* solet cautè procedere, ac libellos supplices remittere ad Summum Pontificem, nec unquam eos concedere in Oratoriis privatis, prout nec in Capellis, præsertim ruralibus, nedum ob metum facilis irreverentiæ, verum etiam, quia tantum Sacramentum dedecet in loco

minùs solenni retineri; quamvis dum adest concursus populi, & præsertim si distet à Parochiali, & alia concurrant necessaria pro manutentione, solet annuere, & aliquoties rescribat, ut penes Ordinarium sit facultas, tale indultum exequendi vel non successivis temporibus.

17. In Ecclesiis porò Cathedralibus, ut scribit idem Petra *pag. 300. num. 16.* debet Sanctissimum extra altare majus poni in alia Capella decente, idque propter functiones Pontificales, quæ necessariò faciendæ sunt ab Episcopo retrorsum ad Altare majus, & ne necessaris genuflexionibus versus Sanctissimum Episcopus magis defarigetur, &

Cæterum à quibus distribuenda sit Sacra Eucharistia? Regula quidem stat pro parochis in *Clem. Religiosis 1. de Privileg.* Per privilegia tamen generalia Regulares hoc Sacramentum in suis Ecclesiis ministrare possunt omnibus utriusque sexus fidelibus, adeò ut S. Congregatio die 9. Julii 1644. post maturam discussionem censuerit, *Archi-Episcopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus, habentibus privilegia Apostolica, ut à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in albis inclusivè administrare non valeant Sacramentum Confessionis; posse tamen eisdem prohibere, ut personis Sæcularibus in die Paschalis non ministrarent Sanctissimam Eucharistiæ Sacramentum, etiam si dictæ personæ Sæculares aliâ die satisfecerint præcepto Ecclesie.* Matthæucci in *Officiali Curia Eccles.*

22 *Eccles. cap. 46. num. 10. & 11. ubi producit aliud decretum S. Congregationis, quæ die 31. Januarii 1682. propositò dubiò in Mechlin. ministrætionis SS. Eucharistiæ Sacramenti, an PP. Societatis aliique Regulares possint ministrare SS. Eucharistiæ Sacramentum personis Sæcularibus à Dominica Palmarum*

usque ad Dominicam in albis? respondit affirmativè, exceptò die Paschatis: ita tamen, ut Sæculares, sumentes Eucharistiæ in Ecclesiis Regularium in aliis diebus à Dominica Palmarum ad Dominicam in albis inclusivè, non satisfaciunt præcepto Ecclesiastico.

QUÆSTIO IV.

Quomodo Olea pro usu Sacramentorum benedicenda & distribuenda sint?

- 23 **O**lea, pro usu Sacramentorum benedicenda, sunt triplicia, nempe oleum infirmorum, oleum chrysmale, & oleum catechumenorum. Oleum infirmorum & catechumenorum est simplex, ex olivis expressum; & illud quidem adhibetur in Sacramento Extremæ Unctionis; hoc verò in Sacramento baptismi ante ejus receptionem pro inungendis catechumenis, uti & pro inungendis Sacerdotibus in manibus, nec non Regibus in humero & brachio juxta cap. un. de sacra Unct. Oleum chrysmale est, cui balsamum admiscetur; eoque inunguntur Episcopi consecrationis suæ tempore in manibus & capite; inunguntur etiam in fronte, qui recipiunt Sacramentum Confirmationis; uti & unguuntur baptizati post baptismum. in vertice & fronte, item fontes baptismales, calices, patenæ, Ecclesiæ, & altaria eodem benedicuntur d. cap. un.
- 26 Benedicuntur hæc Olea ab Episcopis solenni ritu feriâ V. in Cena Domini in Ecclesia Cathedrali intra Missarum solennia cap. te referente 12. de Celebrat. Missar. Et primò quidem oleum infirmorum post consecrationem ante Pater noster &c. deinde Oleum chrysmale immediatè post Communionem; postremò oleum Catechumenorum, uti videre est in Pontificali Romano. Non tamen prohiberi, quin Episcopus, justâ existente causâ, possit hanc benedictionem peragere in alia Ecclesia, sibi subjecta, post Cardinalem de Luca in Miscellan. Ecclesiast. disc. 26. num. 3. & Barbosam in Collectan. Apostol. decis. 535. num. 4. ubi resolutionem S. Congregationis allegat, tradit Eminentiss. Petra to. 3. pag. 52. num. 10.
- 28 Distribuenda & respectivè recipienda sunt hæc Olea à proprio Episcopo Diocæsano cap. presbyteri 4. Dist. 95. cap. omni tempore 124. de Consecrat. Dist. 4. Nec potest Ecclesia aliqua non-Cathedralis præten-

dere ab altera, ut oleum ab ipsa recipiat. Rota Roman. in Cassan. Jur. Parochial. die 6. Junii 1707. §. ac denique coram Caffarello; præterquam si concurrat vera matricitas, 39 concludenter probata; utpote à qua Ecclesiæ filiales oleum petere tenentur, uti rescripsit Sacra Congregat. in Florentina præemin. 27. Januarii 1692. & in Savon. Jur. Paroch. 17. Novembr. 1691. Rota Rom. in recent. p. 19. tom. 2. decis. 524. n. 11. Petra d. l. pag. 53. n. 19.

Abbatibus quoque & Prælatibus Regularibus incumbit, Olea petere ab Episcopo Diocæsano cap. interdiximus 10. XVI. quæst. 1. ibi: chrysmata & oleum, consecrationes altarium, ordinationes Clericorum ab Episcopis recipiant, in quorum parochiis manent. Non obstante 32 exemptione, quam dicimus passivam, utpote quæ tantum liberat à potestate Jurisdictionis, non autem à potestate Ordinis; dummodò Episcopus gratis & sine pravitate aliqua voluerit ea exhibere per cap. veniens 19. de Præscript. & ibi Abbas n. 5. Rota in recent. p. 9. decis. 220. n. 2. & p. 19. tom. 2. dec. 524. n. 11. Neque etiam obstante exemptione 33 activa cum qualitate nullius propriâ; nam & hæc per se loquendò non adimit Episcopo Diocæsano ea, quæ sunt Ordinis; obstante verò alterâ & nobilissima 34 specie cum vera qualitate & separatione territorii. Petra d. l. pag. 55. n. 29. & seqq.

Atque hæc Olea, à quacunque Ecclesia 35 fuerint recepta, debent asservari non in tabernaculo Eucharistiæ, sed propè altare in theca; debentque vasa esse ex argento, aut saltem, si concurrat paupertas, ex stanno; apposita inscriptione cujuscumque speciei propriâ, ubi sunt plura, ne incurratur æquivocum, aut sequatur confusio. Ventriglia in praxi Rerum notabilium tom. 2. adnotat. 21. §. un. n. 21. & seq. Petra d. l. pag. 58. num. 48.

CAPUT II.  
De Rebus Religiosis.

SUMMARIA.

1. & 2. Solus Papa erigit novas Ecclesias Parochiales. 3. Contingit id triplici modò. 4. In loco, neviter ad fidem converso, erectio est sa-

culis. 5. Facienda tamen in locis insignioribus. 6. & seqq. Major est difficultas in casu dismembrationis. 11. Quid possit S. Pontifex

fixe ex plenitudine potestatis? 12. Quid possit in erectione Archi-Episcopatum? 13. & 14. Sinè consensu Pontificis nequit erigi nova Abbatia. 15. Nisi antiqua restituantur. 16. Aut subiciatur Capitulo Generali, si quo mutabilis. 17. Refertur decretum de celebratione

Missarum in Oratoriis privatis. 18. & seqq. Disceptatur, an & quando Episcopus possit dare licentiam celebrandi? 24. Debet semper inspicere prius oratorii locus. 25. Quid de Oratoriis Regularium? 26. Quid de clausula in indultis Pontificis de nobili genere?

QUÆSTIO I.

Quomodo possint erigi novæ Ecclesie Cathedrales?

- 1 **A**uthoritate solius Papæ novæ Ecclesie Cathedrales erigi, constat ex hoc cap. num. 7. Et licet interdum à Regibus & Principibus Sæcularibus Cathedrales fundatas aut erectas fuisse legamus; id tamen factum non est absque benedictione & consensu Summi Pontificis, qui rationabilibus ex causis ad preces Regum & Principum non raro in ejusmodi fundationes aut erectiones concedere solet. Card. de Luca de Præeminent. disc. 1. num. 14. D. Antonius Flavius de Santis Exam. Consistor. cap. 11. à n. 4.
- 3 Potest autem triplici modò erigi novæ Cathedralis. Primò in loco, noviter ad fidem Catholicam converso; secundò in locis Catholicis, ab antiquo exemptis & nullius diocæsibus; tertio per dismembrationem, dividendò unam diocæsibus in duas. Primò & secundò modò, cum de nullius agatur præjudicio, Papa de facili potest ad erectionem procedere, dummodò fuerit prius assignata dos congrua pro ipsa Cathedrali, mensa Episcopali & Capitulari, nec non ministris arg. cap. placuit 1. l. q. 2. cap. nemo 9. de Consecrat. Dist. 1. cap. cum sicut 6. de Consecrat. Eccles. vel Altar. Concil. Trid. sess. 24. de Reformat. cap. 13. Matia de Caus. Consistorial. sect. 4. n. 3. & seqq. de Santis d. cap. 11. num. 20. & seqq.
- 5 & erectio non fiat in villis, castellis, vel parvis civitatibus, sed in majoribus, populosis, & frequentioribus. cap. Episcopalia 1. de Privileg. & ibi Gonzalez; de Santis d. l. n. 36. & seqq.
- 6 Tertio modò, cum agatur de jure tertij, imprimis requiritur consensus Episcopi, cujus diocæsibus erit dismembranda per cap. multis 51. XVI. quæst. 1. sicut & consensus Capituli, quod Sede Vacante succedit in Jurisdictionem Episcopi. Matia d. l. sect. 10. n. 7. in f. & num. 12. de Santis d. l. n. 63. & seq. Deinde exigitur amplitudo diocæsibus talis ac tanta, ut unus Episcopus non valeat gregi sibi commisso solus invigilare; singula diocæsibus

locâ visitandò percurrere, aut ipsemet diocæsani propter distantiam aut asperitatem viarum & montium ad suum pastorem recurrere per Extravag. Salvator noster 5. de Præb. & dignitat. inter communi. ibi: ubi ergo supercrescere messem, populi videlicet multitudinem, viderit (Romanus Pontifex) operarios debet opportunos adicere, & juxta propheticum verbum augere, custodiam, custodes & cultores idoneos in dominicam vineam destinare. Et paulò post: revolventes, quod in tanta multitudine populi, quanta fuerunt altissimi civitatem & diocæsibus Tholosanam, singulorum vultus nequibat, us concederet, unicuique pastor inspicere, aut alias partes boni pastoris implere: quòdquæ durum erat atque difficile per talem latam & diffusam diocæsibus ad unum tantum à personis Ecclesiasticis & mundanis recursum haberi &c. Rota in recent. p. 10. decis. 224. num. 7. Matia d. l. num. 12. de Santis d. cap. 11. à num. 69.

9 Ulterius desideratur abundantia seu exundantia reddituum. Ecclesiæ Cathedralis dismembrandæ, quæ pluribus Episcopatibus cum decore sublevandis sufficiat per tit. Extravag. Salvator noster in verb. attendentes etiam, quòd, licet Tholosanus Episcopatus redditibus abundaret immensis &c. Quòd D. Antonius Flavius de Santis d. l. n. 94. non ita vult intelligi, ut de facili credatur, Episcopatus divisionem faciendam esse propter quemcumque divitiarum excessum, cum alias nullus status firmus permaneret, sed tunc solum, quando per reddituum abundantiam scandalum oriri, vel mala administratio in ipsis Episcopis timeri posset, ex qua Episcopatus mole sua corrueret.

11 Quid verò in hac dismembrationis materia possit S. Pontifex, si motu proprio & ex plenitudine potestatis velit procedere? Exponunt Matia de Caus. Consistorial. sect. 1. 2. & 10. & D. de Santis d. c. 11. n. 62. Quid etiam possit in erectione novorum Archi-Episcopatum? Tradit Eminentiss. Petra tom. 5. Comment. Apostol. ad Const. 3. Pii II. à pag. 185.

QUÆSTIO II.

Quisnam possit erigere novæ Abbatis?

- 13 **D**iversas opiniones refert Petra tom. 1. pag. 543. num. 34. & seq. Ipse tamen indistinctè tenet, ad erectionem novarum Abbatiarum esse necessariam auctoritatem Papæ: cum enim sit dignitas Ecclesiastica; nemo autem, irrequisitò Pontifice, possit

erigere novam dignitatem Ecclesiasticam, sive jam similis erecta noscatur in Ecclesia universali; sive non per textum in cap. omnes 1. Dist. 22. cap. cum olim 6. de Consuetud. & declarationem S. Congregationis apud Fragnanum in cap. dilecto de Præbend. n. 27. consenta-

taneum est, novam etiam Abbatiam absque consensu Pontificis erigi non posse. Thomas. *de Discipl. Eccl. vet. & nova tom. 3. lib. 1. 14 cap. 68. num. 8.* Itaque est constans & firmata praxis in Curia, de qua testatur Conradus in *praxi benefic. lib. 2. cap. 3. num. 34. & seq.* sic scribens: cum hujusmodi erectiones (intellige novarum dignitatum) sint frequentes in Curia, multoties in Dataria vidimus, tales novas erectiones, ab Ordinario factas, omnino rejici, easque non aliter fuisse à Papa confirmatas, imò potius de novo erectas, nisi prius negotio erectionis maturè diligenterque discussò in Sacra Congregatione, sive Concilii Tridentini, sive Episcoporum, ubi ut plurimum hujusmodi erectiones discutiendæ remittuntur, antequam

### QUÆSTIO III.

#### Qualiter in Oratoriis privatis liceat celebrare Missam?

17 **E**xplanatum hoc in *prax. cap. à num. 99.* sed, quod in *num. 103.* ex decreto Clementis XI. dictum erat de Episcopis, in noviss. Concilio Romano à Sanctiss. Nost. Benedicto XIII. *tit. 15. cap. 3.* ita dilucidatum legitur, quòd, cum in predicto decreto statuatur, non licere Episcopis extra domum propria habitationis in domibus Laicis erigere altare, ibique sacrosanctum Missa Sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam Laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione Visitationis, vel itineris, hospitio excipiantur; & nec etiam, quando Episcopi in casibus, à Jure permisis, vel de speciali Sedis Apostolica licentia, absentes à domo propria ordinaria habitationis, moram idcirco faciunt in aliena domo per modum similis habitationis: his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum predicta celebrationis, non secus ac in domo propria ordinaria habitationis.

18 An Episcopus possit dare licentiam celebrandi in Oratoriis privatis post dispositionem Concilii Tridentini *sess. 22. in decreto de Celebrat. Missarum?* Retuli sententiam negativam in hoc eòd. *cap. num. 108.* Verùm ex mente Eminentiss. Petri ad *Constit. Apostol. tom. 2. pag. 493. n. 10.* Episcoporum potestas hac in parte fuit quidem diminuta per Concilium, sed non omnino sublata: quia ejus intentio fuit, repellere abusus, qui tunc temporis inoleverant, concedendi scilicet indistinctè Oratoria privata cum maximo detrimento reverentiæ, tanto Sacramento debita: adeoque in casibus, aliàs à Jure permisis, poterunt Episcopi hanc licentiam impartiri.

20 Hinc ex causa infirmitatis alicujus personæ qualificatæ posse Episcopum concedere licentiam celebrandi in privato Oratorio, resolutum à S. Congr. Concil. referunt Valer. *verbo Missa varf. unò autem casu &c.* Navar. in *Summa Bullar. tom. 2. comment. 80. n. 3.*

21 Idque etiam procedit, alià justà & rationabili causa existente. Navar. *de Privileg. conf. 5. n. 2.* Lotter *de Re benefic. lib. 1. q. 30. n. 15.* in f. Barbola *de Off. & pos. Episc. allegat. 23. num. 10.* Imò multoties, gravi atque communi causâ urgente, etiam non expectatò consensu Episcopi, licitum est, Sacrificium celebrare non solum in Oratoriis privatis, sed etiam in tentoriis atque sub dio frigidò, veluti si Ecclesia vetustate, aut igne corruerit, sive ex hostium invasione Ecclesiæ ac loci sacri commoditas fidelibus non suppetat *cap. concedimus 30. de Consecr. Dist. 1. junctò cap. sicut 11. ead. Dist. ubi Felix Papa, sicut non alii, ait, quàm sacras Dominò Sacerdotes debent Missas cantare, nec Sacrificia super altare offerre, sic nec in aliis quàm Domini sacras locis, id est, in tabernaculis, Divinis precibus à Pontificibus delibatis, Missas cantare, aut Sacrificia offerre licet, nisi summa cogerit necessitas. Satis ergo est, Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas Legem non habet.*

supplicatio ab eodem Papa signetur. Sic ille.

Duas verò limitationes ponit *cit. Petra pag. 544. sub num. 35.* Prima est, si dignitas v.g. Abbatia jam semel extiterit in illa Ecclesia, ac postmodum defecerit: poterit enim ab Episcopo, accedente Capituli consensu, restaurari, dum, ut differit Conrad. *d. l. n. 31. & seq.* facilis est reditus ad statum pristinum, faciliusque res renascitur, quàm à principio nascatur. Altera est circa Abbatis, quæ subjiuntur Capitulo Generali, suntque mutabiles, vel ad certum tempus conferuntur: nam ex statutis propriæ Religionis, à Sede Apostolica confirmatis, fieri potest erectio alicujus Monasterii seu Prioratûs in Abbatiam vel per Capitulum Generale, vel aliò modò ibi præscriptò.

billi causa existente. Navar. *de Privileg. conf. 5. n. 2.* Lotter *de Re benefic. lib. 1. q. 30. n. 15.* in f. Barbola *de Off. & pos. Episc. allegat. 23. num. 10.* Imò multoties, gravi atque communi causâ urgente, etiam non expectatò consensu Episcopi, licitum est, Sacrificium celebrare non solum in Oratoriis privatis, sed etiam in tentoriis atque sub dio frigidò, veluti si Ecclesia vetustate, aut igne corruerit, sive ex hostium invasione Ecclesiæ ac loci sacri commoditas fidelibus non suppetat *cap. concedimus 30. de Consecr. Dist. 1. junctò cap. sicut 11. ead. Dist. ubi Felix Papa, sicut non alii, ait, quàm sacras Dominò Sacerdotes debent Missas cantare, nec Sacrificia super altare offerre, sic nec in aliis quàm Domini sacras locis, id est, in tabernaculis, Divinis precibus à Pontificibus delibatis, Missas cantare, aut Sacrificia offerre licet, nisi summa cogerit necessitas. Satis ergo est, Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate, quoniam necessitas Legem non habet.*

Debet tamen, inquit Petra *d. l. pag. 495. 24 num. 23.* tale Oratorium cum altari esse in loco decenti, & visitari ab Ordinario loci, antequam erigatur, & celebretur; quod tamen non intelligitur de Oratoriis Episcoporum, & in Jure privilegiatorum. An autem pro Oratoriis Regularium, si habeant altaria fixa, & construantur in loco decenti pro infirmis aut senibus, ad Ecclesiam accedere non valentibus, debeat præcedere Ordinariorum consensus & visitatio? Disquirunt Matthæucci in *Offic. Curia Eccl. cap. 10. num. 81.* & in *num. 82. & seq. de granciis Religiosorum* discurret.

In his quoque indultis, quæ pro facultate habendi Oratoria privata à S. Pontifice per organum Secretariæ Brevium impartuntur, sæpe apponitur clausula, *qui, ut affirmis, de nobili genere procreantur &c.* hæcque clau-

clausula sufficienter justificatur, si quis nobilitatem ex sola matre acquisiverit, ut cum Francisco à Mostazzo de *Causis piis lib. 5. cap. 10. num. 37. & seqq.* docet

*cit. Petra num. 25. & seqq.* quoniam filius ab omnibus ascendentibus nobilitatem assumit l. *libertas 10. ff. de Senator. in verb. sed si ex filia Senatoris &c.*

## CAPUT III.

### De Beneficiis Ecclesiasticis.

#### SUMMARIUM.

1. & seqq. Explicatur, in quo sensu pluralitas beneficiorum repugnet Juri Naturali. 4. & seqq. Adducuntur textus Juris Ecclesiastici, eam prohibentis. 7. An valeat consuetudo contraria? Ratio dubitandi. 8. & seq. Probatur negativa. 10. & seqq. In specie non valet consuetudo habendi duos personatus aut dignitates &c. valet autem, per quam habetur personatus aut dignitas cum præbenda. 15. & seq. Neque duo beneficia curata licet habere.

17. & seqq. Neque etiam duo simplicia, residentiam exigentia. 20. Ponitur limitatio. 21. & seqq. Quid de aliis, non requiruntibus residentiam? Disceptatur. 25. & seqq. Agitur de dispensatione. 28. & seqq. Eius causa. 34. & seqq. Discutitur materia reservationis per appositionem manûs. 43. & seqq. Subjicitur alternativa mensuram. 46. & seq. Poena non residentium.

### QUÆSTIO I.

#### An pluralitas beneficiorum sit prohibita de Jure Nature?

1 **H**anc questionem egregiè examinat D. Antonius Flavius de Santis in *Exam. Constit. cap. 3. per tot.* referens à *num. 4.* rationes & Authores pro affirmativa; & à *n. 37.* Authores & argumenta pro negativa; tandemque in *num. 46. & seqq.* adstruit ac firmat suam opinionem, quòd nempe pluralitas beneficiorum sit actus ex genere illorum, qui absolutè consideratus deformitatem vel inordinationem quandam involvit; non tamen tantam & talem, quæ sit intrinseca & inseparabilis, sed cessare possit advenientibus quibusdam circumstantiis, ut puta, si necessitas unius obsequium in pluribus Ecclesiis efflagitet, aut abiens plus obsequii vel tantundem Ecclesiæ præstare valeat, quàm alius præfens, prout Doctor Angelicus in *quodlibeto 9. art. 15.* prolixè explicat. Concludit eapropter *cit. de Santis,* non esse absolutè loquendò contra Jus Naturæ pluralitatem beneficiorum, bene verò contra Jus Ecclesiasticum. Cui conclusioni jam præfuit in *cap. 2. à num. 1.* ostendens, eam non fuisse omni tempore prohibitam, ad stipulantibus Garcia de *Benefic. p. 11. cap. 5. num. 81.* Amideno de *Stylo Dataria lib. 1. c. 16. §. 3. n. 5.* (qui duo referunt decisionem Rotæ Romanæ in *Calaguritana Beneficii de Subs-*

*stano*) & Thomasino de *Benefic. p. 2. lib. 3. c. 1. à num. 8.*

Constituit equidem Concilium Nicensem II. Anno 781. celebratum, relatumque in *cap. Clericus 1. XXI. q. 1.* ut Clericus ab instanti tempore non connoveretur in duabus Ecclesiis; additâ ratione: negotiationis eius hoc est, & turpis lucri proprium, & ab Ecclesiastica consuetudine penitus alienum: sed quia Lex illa, ut differit D. de Santis *d. cap. 2. num. 17.* poterat ad Clericos tantummodò orientales referri; ideò Alexander III. in Concilio Lateranensi III. Anno 1180. generalitèr inhiibuit, ne quis dignitates diversas Ecclesiasticas, & plures Ecclesias parochiales contra sacrorum Canonum instituta nitatur recipere: & si aliter actum fuerit, adjecit poenam, ut & qui receperit, quod contra sacros Canones accepit, amittat, & qui dederit, largiendi potestate privetur. Textus in *cap. quia nonnulli 3. de Clericis non resident.* Successerunt deinde aliæ prohibitiones, signanter Innocentii III. in Concilio Lateranensi in *cap. de multa 28. de Præbend.* Gregorii IX. in Concilio Lugdunensi *cap. ordinarii 3. de Offic. Ordin. in 6.* Joannis XXII. in Extrav. execrabilis 2. *de Præbend.* Concilii Tridentini *sess. 7. de Ref. cap. 2. & 4. & sess. 24. de Reformatione cap. 17.*

### QUÆSTIO II.

#### Valeatne consuetudo, vi cujus liceat habere plura beneficia?

7 **V**ideri posset, talem consuetudinem esse validam: cum juxta sententiam, in prioribus quest. relatum, pluralitas beneficiorum à Jure Naturali non sit absolutè prohibita, imò

potius antiquioribus sæculis tolerata. At res aliter se habet: quia etiam in illis materiis, quæ à Jure Naturali simpliciter non reprobantur, & olim à Jure Canonico tolerabantur.

bantur, consuetudo p̄sæpe reprobata legitur; veluti dictum in lib. 1. tract. 1. cap. 9. n. 110. Ut aded in nostra materia seu pluralitate beneficiorum, quæ saltem ex genere actûs deformitatem & deordinationem habet, ut patet ex rationibus, in hoc cap. num. 84. conglobatis, longè magis consuetudo viciari possit.

10 Atque, ut in individuo innotescat, qualis consuetudo in hac materia sit reprobata; sciendum I. in cap. consuetudinem 7. de Consuetud. in 6. reprobari consuetudinem etiam immemorabilem, tanquam corruptelam, & de ambitionis radice provenientem, quod alicujus Ecclesie Canonici duos personatus, aut duas dignitates, vel praposturas seu administrationes, aut duo officia, vel eorum alterum cum reliquo insimul & prapendam possint in ea licet absque dispensatione Sedis Apostolicæ retinere; subjunctâ ulteriori sanctione, ut, cum unum officium vix dignè valeat aliquis adimplere, nulli liceat de cetero nisi unicum personatum vel dignitatem, aut praposturam, sive administrationem vel officium perpetuum, quocumque nomine censentur, cum prapenda insimul absque dispensatione dictæ Sedis in eadem Ecclesia obtinere, vel jam obtenta retinere.

11 Hæcque posterior sanctio procedit etiam, quando Canonicus ex sua prapenda honestè sustentari potest: potest enim nihilominus dignitatem, & personatum, aut officium habere, veluti declaravit S. Congregatio apud D. de Santis d. cap. 3. num. 90. in verbis: consuetudini permittenti, ut in eadem Ecclesia Dignitas cum Canonicatu per eandem obtineri, & retineri possit, non censeri derogatum ex decreto Concilii Tridentini cap. 17. sess. 24. de Reformat. ubi disponitur, habenti beneficium competens non posse conferri alterum.

12 Non procedit autem in Canonico Pœnitentiario: hic enim, cum præter officium Pœnitentiarii habeat insuper Canonicatum, tali officio annexum juxta Concil. Trident. d. sess. 24. cap. 8. nequit obtinere aliam dignitatem, dum nemo potest esse triplex in eadem Ecclesia, ut ait de Santis d. l. n. 91. quidquid contranitur Navarrus de Reb. Eccl. d. l. n. 4.

13 Quod secus est in Canonico Lectore seu Magistro, cui præbenda Theologalis confertur cum onere docendi, absque eo, quod dicatur habere officium, cui annexus est Canonicatus; indeque dignitatem aliam acquirere non prohibetur. Idem ibid. num. 93. Passerin. ad cit. cap. consuetudinem 1. de Consuetud. in 6. à numer. 389.

14 Sciendum II. minùs illam consuetudinem valere, ut quis plura beneficia curata habeat etiam in diversis Ecclesiis: residentia quippe continua, quæ Jure Domino ex ipsa natura beneficii curati exigitur, nequaquam patitur, ut quis abesse possit ab alterutro beneficio; & cum aliunde in duobus locis quis simul esse nequeat, resultat implicancia, quod

15 utrique curæ satisfacere non valeat. Unde Concilium Trident. sess. 23. de Reformat.

cap. 1. meritò damnat omnem consuetudinem, licet immemorabilem, cujus administratio beneficiatus curatus à residentia, & pœnis, in non-residentes constitutis, excusetur. Ita post Abbatem in cap. extirpanda 30. §. qui verò de Prab. num. 36. & Fagnanum ibid. num. 40. de Santis d. l. n. 94. & seqq.

Sciendum III. consuetudinem, vi cujus quis plura beneficia simplicia, personalem quoque residentiam exigentia, obtinet, defendi à Navarro, quem citat & sequitur P. Pirhing ad tit. de Prabend. num. 142. quia licet per consuetudinem abrogari potest obligatio residendi in beneficiis simplicibus. Sed certè alia consuetudo, quàm immemorialis, vix admitti poterit in dignitatibus & personatibus non-curatis, uti & Canonicatibus Ecclesie Cathedralis vel Collegiatæ: quia juxta Concil. Trident. sess. 24. de Reformat. cap. 12. non licet ejusmodi beneficiis vigere cujuslibet statuti vel consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet annò abesse. Unde, ut scribit D. de Santis Exam. Confessor. cap. 7. num. 48. hæc consuetudo fuit à S. Rota semper rejecta: dantque testimonium resolutiones editæ in Moguntina Canonicatus 6. Aprilis 1696. coram bon. mem. Ursino, & 1. Julii 1697. coram Conchen. & in Augustana Canonicatus 14. Decemb. 1708. coram R.P.D. Aldrovando; & in Leodiens. Canonicatus 14. Aprilis 1711. coram Eminentiss. Priolo. Ut ta-  
men nihil dissimulem, Laymann in Theolog. Moral. lib. 4. tract. 2. cap. 8. num. 11. & 12. & cum eo Pirhing ad tit. de Prab. num. 132. non habent Canonicatus Ecclesiarum Germaniæ pro incompatilibus, quando ibidem non servatur cit. decretum Concil. Trident. ex immemoriali consuetudine, sed tantum opus est residere 3. 4. 5. aut 6. mensibus: quia tunc residentia præscripta non tantum in una sed etiam in alia Ecclesia absolvi potest.

Sciendum IV. à multis sustineri consuetudinem retinendi plura beneficia simplicia, residentiam non requirentia, etiam si quolibet illorum sit sufficiens ad congruam sustentationem, nominatim ab Innocentio in cap. ult. de Cleric. non resident. num. 1. & in cap. jam dudum de Prabend. num. 2. & 4. Rebuffo in praxi dispensat. ratione ætatis verbo in Cathedralibus vers. quod sic est verum &c. Garcia de Benef. part. II. cap. 5. num. 272. & seqq. Pirhing d. num. 142. quia, ut iste loquitur, multitudo beneficiorum, non habentium curam animarum, Lege Naturali vel Divina non est prohibita, modò non nimis multa coaccidentur. Contrariam tamen sententiam veteriorem existimat de Santis d. cap. 3. num. 101. & seqq. & similem consuetudinem vocat corruptelam & de genere nocivorum: cum habeat regulariter adjunctas plures inconvenientias, procedat ex ambitione & cupiditate, ac periculum animarum inducat; hodieque propter Concil. Trident. sess. 24. 24

de Reformat. cap. 17. res extra controversiam posita esse videatur, dum voluit, ut unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui

confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eisdem conferri.

### QUÆSTIO III.

Quomodo ex dispensatione liceat habere plura beneficia?

25 EX dispensatione Pontificia licitum esse, habere plura beneficia, constat ex cap. de multa 28. de Prab. cap. consuetudinem 1. de Consuetud. in 6. cap. Ordinarii 3. de Off. Jud. Ord. eod. in 6. probatque D. de Santis cit. l. cap. 7. à num. 1. ex S. Thoma quodlib. 9. art. 15. quia tales circumstantiæ possunt concurrere, ut nulla remaneat deordinatio vel inconvenientia, ob quam retentio plurium beneficiorum sit illicita.

26 Quamquàm, si causa justa non suppetat, quæ illam deformitatem aut inconvenientiam tollat, dispensatio illicitè concedatur, uti cum Fagnano ad cap. quia de Prab. num. 13. & pluribus aliis ostendit idem num. 4. & seqq. & in num. 19. ex inconcusso Romanæ Curie stylo dispensationes hujusmodi non aliter concedi, quàm ut Pontifex apponat aliquam causam, ex qua motus fuerit ad dispensandum, perhibet.

27 Causas, ad dispensandum sufficientes, de Santis cit. l. cap. 8. num. 2. reducit ad tres, nempe ad prærogativam meritorum, piam utilitatem, & justam necessitatem Ecclesie. Textus in cap. dispensationes 16. cap. tali conjugio 17. cap. exigunt 18. l. quæst. 7. Ad primam spectat nobilitas sanguinis & egregia alicujus literatura d. cap. de multa 28. de Prab. ibi: circa sublimos tamen & literatas personas, qua majoribus sunt beneficiis honoranda, cum ratio postulataverit, per Sedem Apostolicam poterit di-

spensari: junctâ Extravag. execrabilis Joannis XXII. d. s. An verò tam nobilitas quàm scientia copulativè desiderentur; an alterutra sufficiat? Inter oppositas sententias mediam eligit cit. Author num. 8. & seqq. ut, si agatur de beneficiis curatis, de quibus loquitur d. Extravagans, utraque copulativè exigatur, nec qualiscunque nobilitas, sed sublimior; nec etiam qualiscunque scientia, sed conjuncta cum Gradu aliquo Doctoratus vel Licentiatûs in Theologia aut Jure Canonico: sin agatur de aliis, alterutra sufficiat, & quidem etiam nobilitas, à matre duntaxat profecta.

Altera causa est generalior, atque ad illam ipsamet nobilitas & scientia refertur, quatenus Ecclesia per illustres & Ducali aut simili profapia natos splendorem & auctoritatem, maximè in partibus hæreticorum, accipit; & per Viros doctos in spiritualibus & temporalibus magna recipit incrementa. Latè de Santis d. cap. 8. à num. 50. plurima adducens exempla. Tertia causa olim, ubi erat penuria Virorum Ecclesiasticorum, ad sacra gubernacula aptorum, fuit admodum frequens, stringitque adhuc in illis provinciis, in quibus Ecclesiarum regimini satis prospici non potest, nisi unus pluribus v. g. Episcopatus, Abbatibus, Parochiis &c. præficiatur. De Santis d. l. n. 70. & seqq.

### QUÆSTIO IV.

Utrum per appositionem manuum Papæ quoad beneficia Ecclesiarum Germaniæ inducatur reservatio?

34 Juvat pro majori lumine casum, recenter à S. Rota Roman. die 8. Junii 1725. & 13. Maji 1726. coram bon. mem. Cerro, & 13. Junii 1727. coram Aldrovando decisum, referre. Magnus aliquis Princeps Imperii impetravit à Sede Apostolica gratiam Coadjutorie in quadam Ecclesia Metropolitana cum decreto vacationis Canonicatus, præcedenter ab ipso in eadem Ecclesia Metropolitana possessi, effectum tamen fortituræ per supervenientem Coadjuti obitum, & consecutivam Coadjutorie cessationem; cujus quidem Canonicatus collationem contendebat Capitulum Metropolitanum ad se ipsum pertinere; aderat tamen alius, ab alterata Sede de isto Canonicatu provisus: quærebatur proinde: an sit procedendum ad executionem provisionis Apostolicæ? Responderunt DD. affirmativè. Nam quia gratiæ Coad-

jutoriæ habebat decretum vacationis Canonicatus, in effectum deducendæ per obitum Archi-Episcopi Coadjuti, hõc secutò, factus est locus decreto, ac per appositionem manus S. Pontificis remansit Canonicatus S. Sedi reservatus, perinde ac si vacatio contigisset in Curia, ut appositè tradunt Covarruv. præct. qq. cap. 36. num. 9. Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 52. num. 7. Simonetta de Reservat. quæst. 28. num. 1. Wiestner ad tit. de Prab. n. 82. absque eo, quod ad evitandum effectum Apostolicæ reservationis possint allegari per Capitulum Germaniæ Concordata, per quæ Summus Pontifex in §. de ceteris 5. professus fuit, se nolle impedimentum præstare juribus Ordinariorum Collatorum in provisionibus beneficiorum. In hac enim parte omnis difficultas dilui visa est ex germano contextu Concordatorum, quæ in